

(Aug., serm. 68 *de temp.*). Si Sanctus Stephanus persecutores suos non dilexisset, cœli portas sibi apertas non vidisset; quia eos amavit, cœlos apertos videre meruit: *ecce video cœlos apertos*. Si inimicos diligas, tibi similiter post mortem aperientur cœli janua: si eos odio habeas, iisque non parcas, tibi claudentur Paradisi fores, et æterna beatitudine privaberis: *ex omni parte portas clausas invenies*. O quam grave illud supplicium! Durum censes inimico parcere; oh quam durius tibi erit æterna beatitudine privari! quam durius tibi erit, cum tibi dicitur, clausam esse Paradisi januam, nec unquam tibi esse aperiendam! Quid de te fiet, si clausæ tibi sint regni cœlestis janua? quæ tua erit sors? Nonne æternis tartari flammis addiceris? Nonne ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, pars calicis tui in inferno erunt? Nonne ibi cum Caino fratricida, et ultionis amante, in æternum cruciaberis? Ibi, ibi horrendis et æternis plecteris suppliciis, quia inimico parcere noluisti. O frater, quid mavis, aut intrare in gaudium Domini tui, aut æternis suppliciis adiudicari? Quid mavis, aut æternum cum Christo regnare in cœlo, aut æternum in inferno cruciari cum diabolo? Haud dubie cœlestia tibi arrident gaudia, et in æternum cum Christo regnare concupiscis. Ergo si cœlestem beatitudinem obtinere, et cum Christo in cœlo regnare cupias, inimicos dilige. *Ama* illos, ut Christo præcipienti obtemperes: *ama* illos, ut Christum imiteris: *ama* illos, ut devites pœnam, qua Christus plectit eos, qui inimicos oderunt: *ama* eos, et charitas operiet multitudinem peccatorum, ac veniam, gratiam et æternam beatitudinem tibi impetrabit. *Amen*.

DOMINICA PRIMA QUADRAGESIMÆ.

DE AGENDIS ET VITANDIS

HOC SACRO TEMPORE.

Cum jejunasset quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, postea esuriit (Matth. 4, 2).

Institutam ab ipso sanctæ Romanæ Ecclesiæ primordio Quadragesimam apposite Chrysostomus *spiritale animarum ver* nominat. Sicut enim universi terrarum orbis facies, quæ hyemis tempore fuerat deformata, ineunte vere tota immutatur, deperditumque splendorem recuperat, sic adveniente Quadragesimali tempore, hominum peccatorum vita, quæ diebus bacchanalium, helluationibus, ebrietatibus, luxu, et infinitis execrabilibus, infandis et reprobatis operibus tota fuerat defuscata, adveniente saluberrimo Quadragesimæ vere, tota debet immutari. Adventante sacro illo tempore, helluo esurire, ebriosus sitim pati, humiliari superbus, luxuriosus continere, et omnis peccator pravos mores in sanctas operationes commutare debet. Hoc jejunii tempore cessent cupidie, helluationes, et omnia profana convivia; cessent hoc pœnitentiæ et mortificationis tempore coquorum sollicitudines, et archimagicorum artes: cessent hoc sanctificationis tempore effuse libidines, omnibusque licentioris vitæ criminosis exercitiis finis ultimus statuatur. Quid hoc Quadragesimali tempore agere et vitare debeant Christiani, specialius in sequentibus declarabimus. *Ace*.

Licet omni tempore abstinentiæ, pœnitentiæ, et animæ suæ sanctificationi quisque studere debeat, omnibus tamen notum et apertum est institutam ab Ecclesia Quadragesimam esse tempus ad hæc munia specialiter dedicatum. At funesta constat experientia, homines gulosos hoc abstinentiæ tempore sæpe cibis, vinoque se ingurgitare; homines voluptuosos hoc pe-

nitentia tempore saepe luxuriæ alisque illicitis voluptatibus indulgere, et homines dissolutos hoc sanctificationis tempore graviorum criminum sanie saepe se inquinare. Absit hic agendi modus ab hominibus nomine christiano insignitis: *hujusmodi intemperantiæ, et dissolutionis magisteria hominem, qui christiani nominis vocem induerit, non decet*. Non sic sane sacrum quadragesimæ tempus est impendendum: nam in quadragesima abstinendum a deliciis et a vitiiis. *Hoc tempore abstinentiæ* abstinendum a cibis, et jejuniis est vacandum; *hoc penitentiæ tempore* abstinendum a deliciis, et mortificationi est adhaerendum: *hoc tempore sanctitatis*, abstinendum a peccatis, et virtuti est insistendum. Tempore tandem quadragesimæ, modo speciali 1. Jejuniis est vacandum; 2. Penitentiæ est adhaerendum; 3. A peccatis est abstinendum.

I PARS.

Tempore Quadragesimæ abstinentiæ et jejuniis
est vacandum.

Goliath, terror ille Israëlitarum, qui ab Augustino aliisque sanctis Patribus principi tenebrarum comparatur, provocabat filios Israel quadraginta diebus, eos lacessens mane et vespere: *procedebat vero Philisteus mane et vespere, et stabat quadraginta diebus* (1. Reg. 17, 16). Tartareus Goliath, toto hoc Quadragesimæ curriculo, in arenam descendit, ut christianos ad jejunii legem violandam provocet. *Mane et vespere* eos impugnat, suadens nimis duram esse hanc legem; eam non a secularibus, sed a religiosis dumtaxat servandam; danda corpori, quæ ad victum et ad delectationem appetit; non debere christianum hac in re scrupulis angî; in jejunii violatione gravem non esse culpam; aut si gravis sit, quod tempore Paschali instante, Sacerdotis absolutione facile tolletur, *Mane et vespere* inspirat vaferrimus tentator, posse quemlibet absque peccato, et absque legis transgressione cen-

ties in die bibere, et centies aliquantulum cibi sumere, ne potus noceat. *Mane* cuilibet dicit Satan: stomachus tibi debilis est; consule sanitati, cave a catharro, a fluxionibus, et aliis malignis effectibus, quos causare posset jejunium. *Vespere* suadet, collationem largiorem esse faciendam, offam comedendam ventremque oplendum ad hoc ut nox insomnis non ducatur. *Mane* suggerit, prandium ad multum tempus prorogandum, ventremque ita implendum, ut vesperi non esuriat: *vespere* vero afflat, strictas collationis leges non esse servandas, nec gravem esse culpam, si collatio in cenam convertatur. O formidandum Goliath! o infestissimum hostem, adversus quem quadraginta his diebus collectandum est! Quadragesima est tempus pugnae quam in dæmonem inire debemus; totoque hoc tempore jejuniis austeris est vacandum, ut de illo triumphemus: *Hodie sacrum quadragesimæ tempus ingreditur, tempus militiæ christianæ; nemo ergo in umbra faceat, nemo pugnam detrectet, in aciem eundem est* (S. Bern., ser. 2 de jejun.). In aciem descendit Christus, qui quadraginta dierum jejunia emensus est; non in Bethlehem, ubi natus erat, non in templo, ubi fuerat presentatus: non in Nazareth, ubi fuerat nutritus, sed in deserto, ubi jejunia sunt duriora. Ibi que jejunavit, non solum quadraginta diebus, sed etiam quadraginta noctibus; tantoque cum rigore jejunavit, ut esuriem passus sit: *Cum jejunasset quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, postea esuriit*. Si Christus, qui jejunii lege non ligabatur, quadraginta diebus tanta cum austeritate jejunavit, cur jejunare recusabit Christianus? si Magister jejunans esuriit, cur non jejunabit, et cur non esuriet discipulus? *Qualis es Christianus, si Christo esuriente tu reficiaris? si illo pro salute tua famem sustinente, tu pro peccatis tuis jejunare formides?* Christum imitari, ac cum illo jejunare et esuriem pati non reformidabant primævi christiani, de quibus S. Basilus ait: « De jejuniis quadragesimæ cuncti æqualiter præceptum audiunt, et cum gaudio suscipiunt. Non est aut nobilis, aut senex, aut adolescens, aut vir, aut mulier, aut dux, aut miles, qui non integre et mente hilari

Quadragesimæ dies observet ». Tam accurate et severe jejunabant primi Christiani, ut maluissent mori; quam sine causa jejunium violare: *Adveniente jejunio, etsi millies quis exhortetur, omnia quis mallet pati, quam prohibitum tangere nutrimentum* (Chrys., homil. 6 ad pop.). Cujus rei præclarum extat exemplum civium Constantinopolitanorum, de quibus refert Nicephorus, quod cum Justinianus Imperator, ob magnam penuriam aliarum rerum quæ ad victum spectant, edicto suo carnes in secunda Quadragesimæ hebdomada in macello proponi jussisset, nullus, quod mirum est, in tanto populo carnes emere, aut gustare voluit. O quam præclare hi Christum jejunantem imitati sunt! heu! quantum distant novissimi a primevis Christianis! Illi jejunare appetebant, gaudebant, adveniente jejuniorum tempore, et ita accurate ea servabant, ut mori maluissent, quam cibos vetitos tempore Quadragesimæ edere. Istius autem sæculi christiani jejunia plerumque reformidant; imaginarias adducunt rationes, ut ea infringant; ac sæpe ob levissimas rationes, imo sine ulla ratione jejunia violant, et cibos vetitos comedunt. O Christi fideles, inspicite Christum jejunantem; videte et majores vestros, attendite ad primos Christi discipulos, et eorum exemplo Quadragesimalia, et alia indicta vobis jejunia, quantum fas erit, religiose servate.

Si verò ad jejunandum non moveant vos mirabilia hæc exempla, attendite ad jejunii præceptum. Non enim cuique liberum est jejunare, vel non jejunare; de Quadragesimali jejunio præceptum extat, quod qui sine legitima ratione violat, hand dubie peccat: *in Quadragesima non jejunare peccatum est* (D. Aug., ser. 62 de tem.). Nec leve credas esse peccatum, quod perpetrant, qui absque causa legitima Quadragesimalis jejunii legem violant; mortaliter enim peccant, *tum* quia Ecclesia absolute præcipit, et res præcepta satis gravis est, ut illam sub mortali præcipere queat: *tum* quia in variis Conciliis sancta ordinavit Ecclesia, ut qui sine causa jejunium Quadragesimale violant, excommunicationis poena plectantur; quæ poena non imponitur, nisi ob mortale peccatum. O chri-

stiane, parumne tibi videtur, indictam ab Ecclesia legem violare? parumne tibi videtur, mortaliter peccare? An nescis, tamquam ethnicos inspicendos eos, qui Ecclesiæ mandatis non obtemperant: *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus?* (Math. 18). Nonne didicisti, quod *quicumque totam legem servaverit, offendet autem in uno, factus est omnium reus?* (Jac. 2, 10). Nonne nosti, quod qui vel unicum mortale perpetrat, in spiritualem et æternam mortem incurrit: *anima que peccaverit, ipsa morietur?* Sancte ergo Quadragesimæ jejunia ne violes, ac jubenti Ecclesiæ obtempera, ne morte spirituali et æterna plectaris. Jonathas, Saulis filius, in grave mortis incurrit periculum, quia ex levi quadam intemperantia parum mellis comedit: ac patris, qui jejunium aliquod indixerat, præceptum, quod ipse ignorabat, violavit. Heu! si Saul tam severe suum pleetit filium propter transgressionem præcepti ignoranter factam, quomodo punietur, qui voluntarie, et sine legitima causa, præceptum de quadragesimali jejunio violabit? si in Jonatham, eo quod mellis aliquantum comederit, dira mortis sententia fertur, quam adversus Christianum, qui contra jejunii præceptum comedit, sententia feretur? *Si ignoras Jonathas indictum a patre jejunium, quia resolverit, morti addicitur; qui sciens indictum ab Ecclesia jejunium resolvit, quid meretur!* (S. Amb., serm. 25 de Quadrag.). Certe Christianus, qui sciens et absque ratione legitima præceptum quadragesimalis jejunii violat, spiritualement et æternam mortem meretur; ac æterna plectetur morte, si de perpetrato peccato penitentiam non egerit. O Christiani, inquit S. Basilus, inspicite Abrahamum in celo regnantem, et divitem avaram in mediis tartari ignibus clamantem. Utrumque mente revolvide, ac judicate, an expedit magis, aut eximere vos a jejunio in hæcæ vita cum divite helluone, ac in altera famem æternam sustinere, sitimque rabidam in flammis, et infernorum ardoribus; aut abstinere vos cum modico labore per dies aliquot, et convivari cum Abrahamo, in sinu gloriæ molliiter recubantes, quamdiu æternitas durabit. Certe qui recte sapient, accurate omnis Quadragesimæ jejunia servabit, et ut æternas

tartari poenas devitet, et ut supernæ felicitatis præmia cum Abrahamo obtineat. Jejunare ergo, ac totius Quadragesimæ jejunia servare: si enim tot annos mundo et voluptati dedistis, cur Deo et jejuniis dies quadraginta non consecrabitis? *Tot annorum circulos transegisti, mundo frustra operam navans; et quadraginta diebus jejuniis non vacabis pro anima tua!* (S. Cyrillus Alex. catec. 1). Scio, quod multis multus est in jejunando labor; hujusmodi tamen labor est libenter sustinendus non solum ad vitandos inferni cruciatus, et ad impetrandam cœli gloriam; verum etiam ad imitandum Christum Dominum, qui pro nostra salute jejunavit, et qui pro nobis graviore sustinuit labores. Si jejunium nobis acerbum est, atque instar crucis; agnoscamus, quam graviora pro nobis pertulerit Christus in cruce; ubi potio quæ ipsi porrecta est aceti et fellis, cruciatum illius adauxit. Labor quidem nobis est in jejunando: at nondum pro Christo crucifixi sumus: jejunium pro cruce sit. Majora ipse tulit; parva nos reddimus. Generose ergo jejuniis incumbite, ac quidquid durum et difficile est in servanda jejunii lege, forti obite animo propter Christum, qui tam dira et tam acerba pro nostra salute sustinuit. Jejunium, et moderata abstinentia, ut ipsi fatentur medici, pravos humores exsiccet, calorem naturalem roborat, et sanitatem fovet. Quamquam vero a jejunio aliquod incommodum patiaris, nonne justum est ut aliquantulum doloris perferas pro Christo, qui tot dolores pro nobis hilariter portavit? nonne justum, ut tu, qui tot criminum reus es, aliquid ad ea expianda patiaris? *Justum est, ut caput aliquando doleat in servitio Dei, quod olim sæpe usque ad dolorem laboravit in vanitate sæculi; ut esuriat venter usque ad rugitum, qui sæpe repletus est usque ad vomitum* (S. Bern. de vita solit.). Si ergo vera et legitima ratio non excuset, tota hac Quadragesima jejuniis est vacandum; *ac etiam mortificationi et penitentiae incumbendum.*

II PARS.

Tempore Quadragesimæ penitentiae est adhaerendum.

Homo Christianus, qui a statu gratiæ et sanctitatis sua culpa cecidit, tamdiu penitentia adhaerere debet, quamdiu in hoc mundo vivit: *tota vita christiana, perpetua debet esse penitentia* (Trid. Sess. 14, c. 9). Fateor eum non teneri ad jejunia continua et perpetua, ad carnem suam cilicis et flagellis indesinenter affligendam, necnon ad actualem de criminibus suis dolorem in corde semper habendum. Id tantum vult sacrosanctum Concilium Tridentinum penitentiam hominis christiani in mortalia lapsi ita debere esse continuam, ut scelerum quæ in divinam majestatem perpetravit, habitualiter reminiscatur; talisque criminum suorum memoria illum ad ea interdum detestanda, et aliquo modo punienda inducat. Cujus rei ratio sumitur ab incertitudine remissionis peccatorum; quia cum quis in mortalia incidit, certus est se peccasse, et per peccatum quod commisit, æternis suppliciis dignum factum esse: at licet perpetrata peccata confessus sit, ea sibi dimissa esse non est certus. Nullus enim peccator certe cortitudine infallibilis dicere potest: remissa sunt peccata mea, ab iis mundatus fui, ab iis purus sum: *Quis potest dicere; mundum est cor meum; purus sum a peccato?* (Prover. 20, 9). Verum est, quod qui ad peccatorum suorum dolorem se excitavit, ac deinde ea confessario declaravit, et amplius non peccare statuit, moraliter certus esse debet, per Sacerdotis absolutionem peccata sibi fuisse dimissa. Talis tamen moralis certitudo anxietatem aliquam in corde relinquit, qua homo peccator, quamdiu vivit, timet non deleta esse sua crimina; ideo quamdiu vivit, debet interdum ea detestari, ac salutaris penitentia operibus incumbere: *tota vita christiana, perpetua debet esse penitentia.* Ergo si penitentiam semper agere debeat peccator, ei potis-

simum incumbere debet tempore Quadragesimæ: tunc specialiter præterita omnia vitæ suæ scelera mente revolvere, et in amaritudine animæ suæ detestari debet; tuncque debet orationi, jejuniis, et aliis penitentiae operibus singulariter inhærere. *Tum* quia tempore Quadragesimæ peccatoribus Deus abundantiores solet infundere gratias. *Tum* quia hoc est tempus acceptabile et aptissimum ad vacandum penitentiae operibus. *Tum* quia tunc a Deo ardentius postulant Sacerdotes, ut peccatoribus indulgeat: *Inter vestibulum et altare plorabunt Sacerdotes ministri Domini, et dicent: Parce Domine, parce populo tuo* (Joel. 2, 17). *Tum* quia tunc sancta Ecclesia peccatores ad derelinquenda crimina, et ad conversionem magis urget, clamans cum Isaia Propheta: *Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus. Tum* demum quia dies quadragesimales videntur esse dies expiationis, in quibus homo peccator sceleribus suis expiandis specialiter incumbere tenetur. Solemne apud Hebræos erat Festum, quod vocabatur Festum expiationis, in quo quisque suam perscrutabatur animam, ab immunditiis conscientiam suam purgabat, totumque seipsum ab omnibus peccatis mundare conabatur: *In hac die expiatio erit vestri, atque mundatio ab omnibus peccatis vestris; coram Domino mundabimini* (Lev. 16, 30). Apud Hebræos statutum erat, ut hoc expiationis tempore peccatores opera penitentiae et mortificationis assumerent; idque ita severe ut nulli in hoc festo ridere, aut alia lætitiæ signa edere fas esset. Quin contra, omnes tristes, gemebundi, suspirantes, et capite demisso esse debebant: et si quis inveniretur in risu et cachinnos effusus, vel mœstitiæ signa non edens ad mortem damnabatur: *Omnis anima, quæ afflicta non fuerit die hac, peribit de populo suis* (Lev. 23, 29). Ecce festum expiationis Judæorum: expiationis nostræ speciale festum est Quadragesima, quæ a divo Ambrosio vocatur *tempus celestis medicine*. Hoc expiationis nostræ tempore debet quisque lachrymis, et veræ penitentiae operibus suam mundare conscientiam: *Lavanini, mundi estote, auferte malum cogita-*

tionum vestrarum ab oculis meis. Hoc Quadragesimæ tempore debet quisque sua detestari peccata, crebros veri doloris actus emittere, recreationum domos non ingredi, ludos et comœdias fugere, conviviurum et omnium sæculi oblectamentorum genera devitare, ac gemitibus, jejuniis aliisque sinceræ, et amaræ penitentiae operibus adhærere: ut enim ait D. Augustinus: *Quadragesimæ tempus est, in quo peccator per penitentiam obtinet misericordiam.* Hominem justum regius Propheta similem esse dicit arbori facienti fructum in tempore suo: *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo* (Psal. 1, 3). Hyemis tempore arbores, etiam juxta fluentia aquarum plantatæ, nec fructus, nec folia habent; et tamen licet dixerit Christus, *quod omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, cæcidetur, et in ignem mittetur* (Matth. 3, 10), eas non tollit agricola; quia ille solummodo tollendæ, et in ignem mittendæ, quæ fructus non dant in tempore suo. Arbores autem sumus nos in præclaro Ecclesiæ horto plantatæ; fructus bonorum operum a nobis Deus exigit, et a peccatoribus specialiter penitentiae fructus postulat: *facite ergo fructum dignum penitentiae* (Matth. 3, 9). Recta ratio requirit, ut qui in Deum peccavit, toto vitæ suo tempore penitentiam agat: tempus congruentius, in quo peccatores veros penitentiae fructus facere debent, est Quadragesima: et ideo si quadragesimali tempore veros penitentiae fructus non ferat peccator, plurimum timere debet, ne excidatur, et in æternum inferni ignem mittatur. Hoc ergo quadragesimali tempore peccatores a deliciis sæculi abstineant, et toto corde operibus penitentiae adhaereant. Fortissimus ille Dux Jonathas, ut milites suos ad generose decertandum excitaret, dixit: *Surgamus, et pugnemus contra inimicos nostros: non est enim hodie sicut heri, et nudius tertius* (1. Mach. 9, 44). Præcedentibus diebus milites ejus otio et socordia torpuerant: statim igitur ac fortissimus ille Dux mane surgens, accedentes vidit inimicos ad conflictum properantes, militibus suis clamavit: *non est hodie sicut heri et nudius tertius.* Quasi dicat: Non debetis hodie, segnes, otiosi,

et socordes esse, sicut proxime elapsis diebus fuistis, sed hodie fortiter preliandum adversus inimicos nostros; *surgamus, et pugnemus contra inimicos nostros*. Idem dico vobis, o milites christiani, præteritis bacchanalium diebus segnes in vita spirituali fuistis; otio, voluptatibus, et vitiis maligne et pertinaciter adhesistis; at *non est hodie sicut heri et nudius tertius*. Hodie, et toto Quadragesimæ tempore aliud vite genus est instituendum. Jam cesset temporis jactura; deliciae et sæculi voluptates nunc finem habeant; procul sint tripudia, convivia profana, et lasciviæ; ac his omnibus relictis, *surgamus, et pugnemus contra inimicos nostros*. Pugnet et peccator adversus libidines, ebrietates, et alia peccata, quæ sunt infensissimi animæ ejus inimici, adversus hujusmodi inimicos generose pugnet per penitentiam, qua tolluntur et fugantur peccata. Ad arma ergo, o milites christiani, ad arma adversus peccata vestra currite, et ea penitentia gladio nunc enecate. David *eo tempore quo solent reges ad bella procedere*, in palatio suo mansit otiosus. Et ideo, inquit Chrysostomus, *permisit Deus, ut caderet tam enormiter, tam luctuose, ut haberet quod tota sua desleret vita*. Eja, fratres charissimi, ecce nunc tempus, quo solent viri pii ad bella adversus carnem et passiones suas procedere; ecce tempus, quo peccatores adversus peccata sua debent arma penitentia sumere. Ad arma ergo, o peccatores; ne otiosi hoc tempore sitis; jam salutaris penitentia arma arripite; tota hac Quadragesima mortificationi et penitentia adhaerete, ut commissæ deleatis peccata, et a committendis abstinere studeatis.

III PARS.

Tempore Quadragesimæ est a peccatis abstinendum.

Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus Principes, et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum (Ephes. 6, 12). Maxima certe nobis

inest pugna adversus dæmones; quorum totum studium incumbit, ut homines vitis coinquant, in peccatorum sentinam trahant, et in abyssi barathrum detrudant. Jamvero vani erunt omnes eorum conatus, si jejuniis instantur: quia homo jejunans fit dæmonibus terribilis, ac de iis facile triumphat: *Temulentum aggreditur diabolus; ubi autem jejunantem viderit, fugit, pertimescit, terretur pallore ejus* (Ambros. lib. de Ella et jejun.). Verum ut gloriosior de damone maneat triumphus, non solum a cibis, sed a vitiis potissimum et a peccatis est abstinendum: *Si diabolus superare volumus cum Christo, ab esca quidem et potu pro viribus temperemus, et a vitiis totis viribus jejunemus* (S. Max., ho. 4 de jejun.). Ista abstinencia a peccatis, est jejuniu spirituale, quod Deus hominibus imponit: *corporale jejuniu est abstinere a cibis, spirituale jejuniu est abstinere a peccatis* (Chrys., ho. 15 in Matt.). Istud est jejuniu perfectum, non ab Ecclesia solum, sed etiam a Deo hominibus indictum: *perfectum jejuniu est abstinere ab iniquitatibus* (S. Aug., ser. 64, de temp.). Ista abstinencia a peccatis est verum jejuniu, quod homines Deo gratissimos efficit: *Verum jejuniu est a vitiis immunem esse. Continentia lingue, ira cohibito, obretractionis, mendacii, perjurii; ab his abstinere, verum jejuniu est* (S. Basil. ser. 2 de jejun.). Et revera, licet jejuniu a cibis homini prosit, et Deo placeat; parum tamen ei acceptabile est, si non sit junctum cum jejunio a peccatis. Unde passim sancti Patres eos, qui a cibis et non a vitiis abstant, diabolo comparant, eorumque jejuniu diabolicum vocant: *Illi qui jejulant a cibo, et non se abstinant a malo, similes sunt diabolo, qui non manducat, et a malo non cessat*, ait S. Ambrosius. Et ut loquitur S. Isidorus: *qui a cibis abstant, et mala agunt, dæmones imitantur, quibus esca semper abest, et culpa semper adest*. Omni tempore a peccatis abstinere debemus, quia omni tempore cuique ait Deus, *declina a malo*; sed ab iis potissimum abstinere debemus tempore Quadragesimæ: quia hoc est jejuniu universale, quod tunc præcipue homines ligat: *jejuniu magnum et generale est, abstinere ab ini-*

quitibus, et illicitis voluptatibus sæculi (August. 7, 1, Jo.). Ad quadragesimale jejunium non tenentur infirmi, senes, mulieres prægnantes, agricola, opifices qui artes laboriosas exercent, et alii multi: ad jejunium autem spirituale, seu ad abstinentiam a peccatis tenentur omnes: quia hoc est jejunium generale, a quo nullus dispensatur: *jejunium magnum et generale est abstinere ab iniquitatibus*. Hæc abstinentia a peccatis est jejunium non solum utile, sed etiam ad salutem cuique necessarium; et parum prodesset toto quadragesimali tempore a cibis jejunare, si quisque itidem a peccatis non abstineret: « Quid prodest, inquit D. Augustinus, vacuare corpus ab escis, et animam replere peccatis? quid prodest vinum non bibere, et iracundiæ veneno inebriari? quid prodest abstinere a carnibus ad edendum creatis, et malignis obtreccionibus fratrum membra lacerare? quid prodest tenuari corpus abstinentia si animus intumescit superbia? » « Quæ utilitas jejunii, ait Chrysostomus, si tota die nihil comedis, ludis autem, et nugaris, sæpe etiam pejeras et blasphemias? » Certe in jejunio corporali parum est utilitatis, si cum jejunio, seu abstinentia a vitis, non fuerit conjunctum: non enim ad salutem sufficit jejunium a cibis, sine abstinentia a peccatis; quid prodest afflictio corporis, si linguam nequitis et obtreccionibus polluamus? nonne omnes labores nostri ad nihilum rediguntur. Agnoscite itaque, Fratres carissimi, quod ad salutem perpetuam acquirendam, abstinentia corporalis sola non sufficit, nisi et animæ quoque jejunium per abstinentiam vitiorum fuerit sociatum. Propterea hoc quadragesimali tempore, non solum corporali jejunio corpora vestra affligite; ac pressertim jejunio spirituali insistite, et ab omnibus peccatis abstinete. JejUNET oculus, jejUNET auris, jejUNET lingua, jejUNET manus, jejUNET etiam anima ipsa. JejUNET oculus a curiosis aspectibus, et omni petulantia, ut bene humiliatus coëreatur in penitentia, qui male liber vagabatur in culpa. JejUNET auris nequiter pruriens a fabulis et rumoribus. JejUNET lingua a detractatione et murmuratione, ab inutilibus, vanis, atque scurrilibus verbis. JejUNET manus ab otiosis signis, et operibus prohibitis. JejUNET anima ab omnibus

vitiis, et propria voluntate sua. Hoc est jejunium verum, hoc est jejunium spirituale et necessarium, quod quisque servare tenetur. Non sufficit quod Quadragesimali tempore jejunemus, et absteineamus a cibis; insuper sanctificanda sunt jejunia nostra: *sanctificate jejunium* (Jer. 10, 4). Et quomodo sanctificantur jejunia? per abstinentiam utique a peccatis: *quid est aliud sanctificare jejunium*, inquit S. Maximus, *nisi iniqua vitare?* Et deinde ad specialia descendens, docet quæ peccata sint vitanda, ut sanctificetur jejunium: « Sanctificat ille jejunium, ait, cujus cor adulatione potentum, amicum, parentumque gratia, clientum etiam parva, magnave munuscula, a recti tramite non avertunt. Sanctificat jejunium, cujus justitia pretio non vilescit. Sanctificat ille jejunium, qui flammam sævientiæ iracundiæ, mansuetæ mentis placibilitate restringit. Sanctificat jejunium, qui lascivientes oculos turpi ab aspectu avertit. Sanctificat jejunium, qui conviciorum jacula scuto patientiæ repercussa dispergit. Sanctificat jejunium, qui litigantium tumultus pacifici lenitate sermone, et linguæ prudentioris arte compescit. Sanctificat jejunium, qui consurgentes in semetipso vanarum cogitationum spinas, Evangelico sulcante vomere, velut quidam pectoris sui arator excidit. Aprime sanctificat ille jejunium, qui per omnia præceptis divinæ Legis intentus, diaboli a corde suo respuit tentamenta ». Abstinendum tandem a peccatis, ut sanctificetur quadragesimale jejunium; *sanctificate jejunium*. Heu tamen quam pauci sanctificant jejunium! quam pauci tempore Quadragesimæ abstinere a peccatis! pauci tunc jejunio vacant, pauci de commissis peccatis penitentiam agunt, et pauci ab eis abstinere. Multi quo magis res sunt præceptæ, eo minus illas faciunt; et quo magis sunt prohibitæ, eo magis illas facere volunt, et in prohibitum nituntur. *Nitimur in vitium semper, cupimusque negata*. O quot tempore Quadragesimæ non abstinentiæ et jejuniis, sed crapulæ, gulæ et Veneri indulgent! quam multi sacro hoc tempore, non penitentia, sed ludis, conviviis, et illicitis voluptatibus vacant! quam multi tunc, non a vitis abstinere, sed omni criminum genere sese magis inquinant! O Christi-

fideles, toto hoc quadragesimali tempore jejuniis, quantum fas erit, vacate, ut imitemini Christum et primores christianos, ut Ecclesie præcipienti obtemperetis, et ut æternam inferni penam evadere valeatis. Toto hoc tempore penitentiae operibus incumbite: quia hoc est tempus Deo acceptabile; quia hi sunt dies expiationis, et quia hoc est tempus, in quo quisque fructus penitentiae ferre, et arma penitentiae sumere debet. Tempore Quadragesimæ a vitis abstinete: quia hoc est jejunium spirituale, jejunium magnum, jejunium universale, et jejunium necessarium quod Deus exigit a vobis. Tota tandem hac Quadragesima jejunate, de commissis peccatis penitentiam agite, et a committendis cavete. Imitamini Ninivitas, quorum ita enormia erant peccata, ut vix credere posset Jonas Propheta, eos a Deo misericordiam impetraturos: ab eo tamen gratiam et misericordiam obtinuerunt; quia artissimis jejuniis corpora sua afflixerunt; quia in prædicatione Jonæ severam penitentiam susceperunt, et quia a peccatis abstinuerunt. O quot forsitan inter vos gravioribus sunt inquinati criminibus, quam Ninivite! ergo si eos errantes imitati estis, eos penitentes generose imitamini; cum iis jejunate, penitentiam agite, et a peccatis abstinete; Deusque vobis ex nimia bonitate sua gratiam dabit et gloriam. Amen.

FERIA II POST DOMINICAM PRIMAM.

DE EXTREMO JUDICIO.

Cum venerit Filius Hominis in majestate sua, et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis sue (Matth. 25, 31).

Sicut olim Jeremias, jubenti Deo ut mirabilia Altissimi prophetaret, respondit A, a, a, Domine Deus: ecce nescio loqui, quia puer ego sum: ita Joel Propheta, licet disertissimus,

cum de tremendo ultimi judicii die vaticinari voluit, adeo stupefactus et perterritus fuit, ut quasi puer ballutiens, dixerit: A, a, a, diei; quia prope est dies Domini (Joel 1, 15). Heu! si Propheta hujus, formidanda et terribilia Dei judicicia prospicientis, et explicare volentis, lingua quasi palato hæserit; quomodo digno verborum sententiarumque apparatu, tremendum hunc hodie oculis et mentibus vestris objiciam diem, cuius signa, portenta et terrores, omnis humane cogitationis vires in immensum transcendunt: *Quis poterit cogitare diem adventus ejus?* (Malach. 2, 3). Quid de portentosa illa die dicam, quod non sit modicum, et quasi nihilum æstimandum respectu eorum, quæ tunc evenient? Certe deficiunt verba, lingua fatiscit, et tremendi potius quam loquendi mihi nunc locus est. Ne tamen totaliter hæream, et obmutescam, Christum ut ut potero in die Judicii supra thronum majestatis suæ sedentem, ac judicis supremi munera obeuntem representabo: *Cum venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis sue. Ave.*

In tremendi judicii die formidandus quidam audietur tubæ sonus, seu vox quædam horribilis, omnes penitus homines ad generale judicium vocans; quæ terrorem omnium cordibus injiciet, omnesque ad Christi thronum coget: *Tuba mirum spargens sonum per sepulchra regionum, coget omnes ante thronum.* Terribili hac canente tuba, ad Christi tribunal se sistent justi et peccatores, religiosi et seculares, ac omnes penitus cujusvis nationis, generis, et gradus homines, qui a mundi primordio vixerunt: *Congregabuntur ante cum omnes gentes* (Matth. 25, 32). Illis autem sic undequaque congregatis, Christus super thronum majestatis suæ sedens, tria factururus est: 1. separabit bonos a malis: *separabit eos ab invicem* (Ibid. v. 41); 2. omnes examinabit, et cuique dicet: *redde rationem villicationis tuæ*; 3. adversus reprobos sententiam dicet: *discedite a me maledicti*. Ad tremendum Christi tribunal nunc, quæso, mente et spiritu properemus; ac serio perpendamus *hanc separationem*, qua nulla terribilior; *hoc examen*, quo

nullum acerbius; *hanc sententiam*, qua nulla formidabilior. Separatio, examen, et sententia, en tres hujus concionis partes.

I PARS.

Separatio, quæ in extremo judicio fiet.

In extremi judicii die Christus supra solum majestatis suæ sedens, postquam coram ipso congregatæ fuerint omnes gentes, separabit bonos a malis, *separabit eos ab invicem*. Hic erit Paterfamilias, qui zizania a tritico sejunget: hic erit piscator evangelicus, qui pisces bonos a malis segregabit: hic erit Pastor bonus, qui separabit oves ab hædis: *separabit eos ab invicem*. In hoc mundo boni malis sunt permisti; justi cum iniquis, et innocentes cum reis promiscue vivunt; avari cum beneficis, cum castis impudici, ebriosi cum sobriis, cum superbis humiles, et iracundi cum mansuetis confuse versantur. At in die judicii ab avaris beneficos, castos ab impudicis, ab ebriosis sobrios, humiles a superbis, ab iracundis mansuetos, et omnes justos a peccatoribus Christus separabit: *separabit eos ab invicem*. Quamdiu in hoc mundo vivimus, non facile qui boni, et qui mali sint, agnoscimus; latet nos sæpe, qui justi et amici Dei sint, qui vero peccatores et Dei inimici. *Multi* namque extrinsecus agni innocentes videntur, qui intrinsecus sunt lupi rapaces: *multi* ab hominibus censentur probi, qui coram Deo peccatores et iniqui sunt: *multi* sunt hypocritæ, qui ut appareant hominibus jejunantes, exterminant facies suas; et qui, ut pii justique judicentur, concionibus intersunt, Ecclesias frequentant, Sacramenta recipiunt, ac omnibus modis sibi possibilibus, justî non fieri, sed æstimari curant. At vero tremendo ultimi judicii die, hæc iniquitatis velamina tollentur: Deus tunc manifestabit abscondita cordium; tunc qui justi, et qui iniqui sint, Christus omnibus revelabit, ab impiis et peccatoribus pius et justos segregabit: *separabit eos ab invicem*. Impiis in hoc mundo sæpe omnia sunt prospera, et piis adversa

sunt omnia: sæpe honorantur qui contemni, et contemnantur qui onorari debent: sæpe regnant, triumphant, ac deliciis inebriantur impii, dum viri pii despiciuntur, abiciuntur, conculcantur, suntuque quasi omnium peripsema, et ideo in hoc mundo justî sinistram, peccatores vero dexteram tenere videntur. In extremo judicio omnia aliter ordinabuntur: cuique suus tunc dabitur locus; et Christus ita bonos a malis separabit, ut bonos ad dexteram suam, malos vero ad sinistram statuatur: *separabit eos ab invicem, sicut Pastor segregat oves ab hædis, et statuatur oves quidem a dextris suis, hædos autem a sinistris*. Cum Joseph duos filios suos, Manassem scilicet et Ephraim ad Jacob adduxisset, ac Manassem primogenitum ad ejus dexteram, Ephraim vero ad sinistram posuisset, Jacob spiritu divino illustratus, ut illis benediceret, commutavit manus, easque in modum crucis composuit: ex quo factum est, ut ad sancti Patriarchæ dexteram esset qui ad ejus sinistram prius fuerat: et ut esset ad sinistram qui ad dexteram prius erat. *Manasses* figuram gerit hominis peccatoris, *Ephraim* vero hominis justî: Christus autem in die judicii quasi manus mutabit, ac peccatores, qui in dextera, seu in abundantia prosperitatis in hoc mundo fuerant, ad sinistram collocabit; justos vero, qui in hoc mundo, ob varias tribulationes quas perpessi sunt, quasi sinistram tenebant, ad dexteram suam statuatur: *Separabit eos ab invicem, et statuatur oves quidem a dextris suis, hædos autem a sinistris*. O terribilem mutationem, qua qui in mundo primi fuerant, fient novissimi! O formidandam separationem, qua ex personis ejusdem urbis, ejusdem domus, ejusdem status et conditionis alii ad dexteram, et alii ad sinistram statuentur! O quam durum tunc erit improbo marito a proba uxore, et improbæ uxori a probò marito segregari! quam acerbum erit parentibus separari a filiis, et filiis separari a parentibus! quantus tunc luctus, quanta confusio, quanta rabies, desperatio quanta multis divitibus, nobilibus multis, innumeris sapientibus et potentibus in sæculo, ac omnibus penitus reprobis, cum ad Christi sinistram statuatur! Ut autem perfectius futura hæc separatio concipiatur, dicamus specialius qui tunc

ad Christi dexteram, et qui ad ejus sinistram statuuntur. A dextris Christi tunc erunt sanctissima ejus Genitrix cum illustri sacrarum Virginum choro, Abraham cum sanctis Patriarchis, Isaias cum Prophetis, David cum aliis regibus justis, janitor cœli Petrus cum Apostolis et Evangelistis, Stephanus et Laurentius cum iis qui innocuum pro Christo sanguinem fuderunt, Nicolaus et Martinus cum sanctis Confessoribus, Paulus et Antonius cum Anachoretis, Magdalena et Pelagia cum pœnitentibus; ac omnium Ordinum Patres et fundatores, qui libet cum filiis suis. Censet D. Gregorius, quod tunc ad Christi dexteram stabunt Apostoli, et viri apostolici cum his quos a peccato ad justitiam traduxerunt. Ibi, inquit, Petrus cum Judæa conversa, quam post se trahet, apparebit: ibi Paulus conversum, ut ita dixerim, mundum duens: ibi Andreas Achaïam, Joannes Asiã, Thomas Indiam in conspectu Judicis conversam ducet: ibi omnes Dominici gregis Pastores cum grege et animarum lucris. Ecce qui a Christi dextera erunt: inquiramus jam, qui ad sinistram ejus statuendi sint. Ibi erit Cain, qui fratrem suum occidit, cum omnibus fratricidis: ibi Judas cum omnibus traditoribus: ibi Pilatus cum iniquis omnibus judicibus: ibi Herodes qui innocentes morti adiudicavit, cum omnibus tyrannis: ibi Barabbas latro cum omnibus latronibus, Lamech cum omnibus adulteris, Giezi cum injustis mercatoribus, cum simoniaciis Simon, et Jezabel cum adulteris: ibi tandem omnes hædi, seu omnes reprobi in fasciculos varios ligati. Sacer Textus asserit, quod zizania, seu impii tunc in fasciculos ligabuntur: *alligate ea in fasciculos ad comburendum* (Matth. 13, 30). In sinistra ergo Christi erunt portentosi reproborum fasciculi: ibi varii erunt fasciculi hæreticorum qui simul cum suis hæresiarchis ligabuntur: ibi fasciculi multi persecutorum Ecclesiæ, qui cum iniquitatis suæ ministris vincientur: ibi Cain cum omnibus homicidis, cum proditoribus Judas, et Lamech cum adulteris colligabuntur: ibi erunt fasciculi usurariorum, fasciculi blasphemorum, fasciculi impudicorum, et ut ait D. Augustinus, ligabuntur *rapaces cum rapacibus, adulteri cum adulteris, fornicatores cum fornicatoribus, homicidæ cum homicidis,*

acari cum avaris, iracundi cum iracundis, falsi testes cum falsis testibus, fures cum furibus, similes cum similibus. En separationem, quæ in die judicii fiet, quæ amabilis erit simul et terribilis: *amabilis* justis, qui summo afficientur gaudio, cum se ab hædis separari, et ad Christi dexteram collocari videbunt: *terribilis* peccatoribus, qui totis contremiscent artubus, cum se a justis se jungi, et ad Christi sinistram ponent. Quid tunc non patientur Antiochus, Nero, Diocletianus, et innumeri hujus farinae, vel potius hujus furfuris viri, cum eos, quos nec aspectu suo in hoc mundo dignabantur, ad Christi dexteram stare, ibique gloriose triumphare videbunt? quantus tunc labor, quantus dolor, quanta confusio regibus, principibus, aliisque magnatibus, cum se despici, et cum hædis ac reprobis misceri cernent, dum ex suis clientibus multi in Christi dextera, veluti sidera fulgebunt? quanta desperatio cunctis peccatoribus, cum se reproborum numero adscribi apprehendent? Ast quantus nunc nobis debet inesse timor ne in futura hac separatione ad Christi sinistram collocemur? Timeamus in hoc mundo justi, timeamus et nos, timeamus, nec tamen diffidamus; quia quantumvis peccatores simus, justi fieri, et in tremendo Dei judicio ad Christi dexteram collocari possumus. Ut enim ait D. Augustinus, qui sunt hirci, possunt fieri oves: et *fieri potest, ut qui hodie sunt zizania, cras sint frumentum.* Timeamus ergo, ac sancta cum fiducia fortiter et generose ea quæ muneris nostri sunt, adimpleamus, ut in separatione quæ in die judicii fiet, ad Christi dexteram collocemur. Nunc ergo visa hac separatione, *ad examen et discussionem in die judicii futuram transeamus.*

II PARS.

Examen quod in extremo judicio fiet.

Impii suam nunquam examinant conscientiam; creduntque, Deum iis similem fore: *existimasti inique, quod ero tui si-*

milis (Ps. 49, 21). Arbitrantur, quod sicut ipsi nunquam se examinant, ita Deus conscientie eorum angulos nunquam scrutabitur; sed falluntur graviter, quia in ultimi iudicii die Deus omnia hominum peccata examinabit, et librabit libra, seu balance accuratissima scientiæ suæ quæ falli nequit, rigorosæ justitiæ suæ quæ corrumpi non potest, et iudiciorum suorum quæ irreprehensibilia sunt. *Arguam te*, inquit Deus peccatori, *et statuem contra faciem tuam*; quid Deus ante peccatoris faciem statuet? *Statuet peccata*, ut habet alia versio. O peccator, in die iudicii Deus ante faciem tuam statuet detractioes, perjuriam, blasphemias, usuras et omnia scelera quæ perpetrasti. Tunc Redemptor tuus te memorem reddet cuiusvis momenti temporis inutiliter perditum, omnis inordinati motus carnis tuæ, omnium obscenarum mentis tuæ cogitationum, pravorum omnium cordis tui affectuum, omnium malorum verborum quæ protulisti, et iniquarum omnium actionum quas fecisti. Tunc justus Index ultionis, conscientia tuæ latebras scrutabitur et examinabit omnia peccata quæ cogitatione, verbo et opere commisisti. Examinabit non solum peccata externa, sed et interna, non solum peccata propria quæ tu perpetrasti, sed et peccata aliena; ea scilicet, in quæ alii jussione, consilio, vel pravo exemplo tuo ducti, inciderunt; ea omnia Deus examinabit, librabit, et contra faciem tuam adducet: *statuem contra faciem tuam*. Sensere nonnulli, Christum in die iudicii gravia peccata non examinaturum, utpote quia ita per se nota sunt, ut nullo examine, nulloque scrutinio egeant. Tamen certum est, quod ad majorem impiorum confusionem Christus gravia et enormia quævis eorum scelera inquireret, examinabit et librabit: gravia enim scelera sunt montes illi, quos Deum in die iudicii libraturum ait Propheta, *libravit in pondere montes, et colles in statera* (Is. 40, 12). O peccator, in extremi iudicii die *librabit* Deus iniquas illas cogitationes, quas toties in corde tuo versasti; *librabit* pravos omnes cordis affectus quos habuisti; *librabit* quotquot blasphemata, scurrilia, scandalosa, contumeliosa et exitiosa verba protulisti; *librabit* in statera homicidia, adulteria, simonias, furta, rapinas, et mala omnia opera

quæ egisti: *librabit* tandem cuncta peccata mortalia, sive occulta illa sint, sive manifesta, in quæ toto vitæ tuæ tempore incidisti; hæc omnia librabit, et in examen adducet, *cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium* (Ecl. 12, 14). Et ut ait D. Augustinus, non solum examinabit Deus peccata gravia, quæ perpetraverimus; ac etiam objiciet nobis tempus, locum et personas cum quibus peccavimus; necnon peccatorum speciem, circumstantias, numerum et gravitatem: *Objiciet nobis in faciem omnia quæcumque fecimus, in quo die, in qua hora peccavimus*. O quale scrutinium! O quam durum illud examen! In tribunalibus secularibus ad iudicium et examen non adducuntur cogitationes malæ, et interni quique, quantumvis pravi, cordis affectus; nec aliquis unquam plectitur, quia prava cogitavit: *cogitationis penam nemo patitur*, inquit Ulpianus: ipsa quoque *Ecclesia non iudicat de internis*. At ita accuratum et severum erit extremi iudicii examen, ut Deus qui *spirituum ponderator est*, examinaturus sit occultissimas quasque mentis cogitationes, abditos quosvis voluntatis affectus, ac pravos quoscumque cordis motus, quos oculatissimi quique viri agnoscere non valent: *quidquid homines cogitaverint, certa lance discernet Deus* (V. Beda). O peccator, si Deus erit examinaturus tuas omnes cogitationes, et pravos quoque cordis tui affectus, quanto magis examinabit tot iniqua verba, quæ protulisti tot opera, homine christiano indigna, quæ egisti, totque peccata externa, in quæ ex infirmitate, ignorantia, vel malitia lapsus es? Certe hæc omnia *adducet Deus in iudicium*; nec erit aliquod peccatum, sive grave, sive leve illud sit, quod Deus non inquirat, non exploret, et severe non examinet. Assertit Christus Dominus, nos in extremi iudicii die, vel de minimo verbo otioso quod protulerimus, rationem reddituros: *omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii* (Math. 12, 36). Quid est verbum otiosum? Verbum otiosum, inquit Tertullianus, est quod *vanum et superfluum est*. S. Chrysostomus ait, verbum otiosum esse illud, quod licet ex se malum non sit, ad nihil tamen utile est: *quod nihil affert utilitatis*. S. Basilius verbum

otiosum vocat omne illud, quod in hoc solummodo malum est, quod ad Dei gloriam non conducit: *quod ad propositam in Deum utilitatem non conducit*. S. Hieronymus dicit, verbum otiosum esse illud quod nec proferenti, nec audienti utile est: quod *sine loquentis et audientis utilitate dicitur*. Ecco quid sit verbum otiosum; illud, scilicet, quod vanum, quod inutile, quod ad Dei gloriam non profertur. Heu! si de omni verbo otioso, quod est solummodo verbum vanum et inutile, rationem simus redditori; quid dicendum de detractionibus, de blasphemis, de perjuriis? quid de impudicitis, sacrilegiis, simoniis, et aliis omnibus infandis sceleribus? quid de mendaciis ex joco prolatis? quid de temporis jactura: quid de furtis levisimis, et aliis peccatis venialibus? Procul dubio hæc omnia ad Christi Salvatoris examen venient; hæc omnia severe scrutabitur, trutinabit, et examinabit; hæc omnia *adducet Deus in iudicium*. Plura dicam; non enim gravia solum et levia, occulta et manifesta peccata, verum ipsas justitias et virtutes Christus inquiret, discutiet et examinabit: *Cum accepero tempus*, inquit Deus, *ego justitias judicabo*. Tempus accipiet Deus in die iudicii; tunc *examinabit* et iudicabit cujusque jejunia: an ex devotione, vel per hypocrisim facta fuerint: *examinabit* eleemosynas, et omnia misericordiae opera; an ex charitatis, vel vanitatis motivo fuerint facta: *examinabit* Confessiones et Communiones: an fuerint sanctæ, vel sacrilegæ: *examinabit* Missas, quibus quisque adfuit: an eas cum mentis attentione, et debita corporis compositione audivit; *examinabit* tandem omnia virtutis opera, et omnes justitias: *ego justitias judicabo*. Si Christus solum latrocinia, sacrilegia, adulteria, homicidia, et alia hujusmodi esset examinaturus, multi qui in talia non sunt lapsi scelera, securi ad Christi tribunal accederent; quis autem securus stabit ante Christum iudicem, qui ipsas justitias, et bona quævis opera severe judicabit? Certe est quod timeant omnes a iudiciis Dei, cum ipse sit ipsas virtutes examinaturus. Illa duo verba, *justitias judicabo*, timorem et terrorem omnium cordibus infligere debent: ut enim ait Hugo Cardinalis, *terribile verbum, quod non tantum pec-*

cata judicabit, sed et justitias, bona scilicet opera examinet. Terribile quidem illud verbum; terribile et formidandum, quod Christus virtutes, et bona nostra opera sit examinaturus; ac longe terribilius, quod perceptorum omnium beneficiorum rationem sit a nobis petiturus: O homo, perpende omnia et singula quæ a Deo accepisti beneficia; ac certus esto, quod in extremi iudicii die, eorum omnium Deus a te rationem exiget. Tunc cuilibet dicet Christus: *redde rationem villicationis tuæ* (Luc. 16, 2). Tunc dicet cuilibet: *redde rationem* illius animæ, quam tibi dederam, ut illam salvares; nonne plurimis eam criminibus deturpasti? *Redde rationem* corporis tui, quod tanta arte fabricaveram; nonne illud multis impudicitis fœdasti? *Redde rationem* tot creaturarum, quas in tui obsequium formaveram; nonne eas serviro fecisti iniquitatibus tuis? *Redde rationem* tot Sacramentorum, quæ ad tui salutem institueram: nonne iis in mei contumeliam abusus es? *Redde rationem* gratiarum, quibus toties ad eorum pulsavi: nonne illas sæpissime repulisti? Quem fructum elicuisti *ex prædicatoribus*, quos misi, ut te a peccatis averterem? *ex afflictionibus*, quibus te vexari permisi, ut te ad meliorem vitæ frugem adducerem; et *ex piis justorum exemplis*, quæ tibi proponi volui, ut te ad eos imitandos allicerem? *Redde rationem villicationis tuæ*, redde rationem omnium beneficiorum, quæ a me accepisti. O quale examen! o quam timendum, ne qui se nunc justos arbitrantur, tunc peccatorum multorum rei inveniantur. *Verendum est, ne in hoc examine nostræ justitiæ, quæ tales putantur, peccata appareant* (S. Bern. ser. 55 in Can.). Quare non fallamus nosmet-ipsos; non supponamus tamquam certum, nos ita justos esse, ut securi coram justo Iudice apparere possimus; nunc ita discutiamus conscientiam nostram, illam ita examinemus, et ab omni inquinamento purgemus, ut in extremo iudicio Christus nil in nobis non examinatum et non purgatum inveniat. *Si nosmet-ipsos dijudicemus*, inquit D. Paulus, *non utique iudicemur* (1. Cor. 11, 31); ita ergo nos examinemus et iudicemus, ut in die iudicii nil Christus in nobis examinandum et judi-

candum reperiat. Imitetur mellifluum Bernardum, qui de seipso dicebat: *Volo vultui ire Dei judicatus presentari, non judicandus; ut ille qui scrutatus est Jerusalem in lucernis, nil in me indiscussum inveniat* (ib.). Similem in modum ita nostram discutiamus et examinemus conscientiam, ut præmiandi potius quam examinandi appareamus in hoc extremi judicii examine, quod terribile erit. *Adhuc autem terribilior erit sententia, quam Christus tunc adversus reprobos proferet.*

III PARS.

Sententia quam in extremo judicio Christus adversus reprobos dicit.

Sententia quam in tremendo judicii die adversus reprobos Christus proferet, hæc est: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus.* O terribilem sententiam! Cujus quot verba, tot tonitrua, totque fulmina ab ore Christi adversus reprobos vibrata. Ut perfectius concipiatur, quam formidanda sit hæc sententia, singula ejus verba expendere et ponderare oportet.

Primum ergo hujus sententiæ verbum est, *discedite.* O quam luctuosum discedere ab eo qui est summum bonum, omniumque bonorum origo et principium! Quam horrendum exulare in æternum a Deo et a Paradiso! Si enim tantus esse solet luctus, cum quis a domo paterna in exilium ad remotas regiones mittitur; quantus luctus, quanti gemitus, dolor quantus erit reprobis, cum a cœlesti patria, a Deo, a Dei Genitrice Maria, ab Angelis, et a Sanctis discedent, ut duri et perpetui exilii penas luant! Quanta reprobis erit pœna, cum Christum supremum Judicem audient dicentem: *discedite a me*: tanta hæc erit pœna, ita grave illud erit supplicium, ut eo nullum gravius esse possit. Nam, ut ait S. Chrysostomus, hæc pœna gravitate sua longe superat ignis pœnam, quæ omnium sensibilibus pœnarum gravissima censetur: *multi, inquit, timent*

ignis pœnam; sed hæc pœna longe gravior erit et acerbior. Quod ut confirmet idem S. Doctor, ait, ignem quidem inferni esse intolerabilem; millies tamen gravius esse, discedere a Deo, et cœlesti privari beatitudine, quam infernalium ignium vim tollerare: *ignis est intolerabilis: sed si mille mihi ignes proponeres, non tanti aestimo, ac privari illa beatitudine, gloria, presentia Christi.* Dic ergo, o Chrysostome, quid de aliis reproborum pœnis sentias? quid de æternis illis tenebris quibus adjudicantur? quid de rodente illo verme a quo indesinenter laniantur? quid de stagno illo ignis et sulphuris cui immerguntur? quid de rabida fame quam patiuntur? quid de stridore dentium, et de multis aliis suppliciis quibus adducuntur? *Si mille, ait, gehennas mihi proponas, non tantum hoc reputo, neque abhorreo, sicut a gloriosa illius societatis jucunditate repelli, exosum fieri Creatori, et ejus aspectu indignum aestimari.* Nec sine gravi ratione hoc dicit Chrysostomus: quia sicut summum hominis bonum est videre Deum, amare Deum, ac frui Deo, et cœlesti beatitudine; ita et summum hominis malum est iis omnibus privari, et ab iis in æternum discedere: *discedite.*

Secundum hujus sententiæ verbum est, *maledicti.* O quam durum, quam intolerabile ab eo maledici, qui omnium benedictionum fons est et origo! Heu! Si olim Esau, se paterna benedictione privatum videns, rugiebat, ut ait sacer Textus; quantos et quales rugitus edent reprobi, cum non solum Patris Æterni benedictione se ejici et exheredari cernent? Certe tunc amarissime flebunt, ululabunt et rugient. *Tunc unusquisque carnem brachii sui vorabit* (Isa. 9, 20), ac sibi ipsi maledicens, dicet: *maledicti oculi, qui toties nimia complacentia illicita intuiti estis, nec unicam veræ penitentiae lachrymam fudistis! maledicta lingua, quæ tot turpia, iniqua et exitiosa verba protulisti! maledictum cor, quod pravis cogitationibus, et obscœnis delectationibus quibus adhesisti, cœlestibus et æternis me bonis privasti! maledictæ manus, quæ opera digna salutis agere nolistis. Tunc pater maledicet filio,*

quem in propriæ salutis detrimentum ditavit; *mater* maledicet filiabus, quas ut mundo sublimaret, salutis suæ oblita est; *filius* maledicet parentibus, quorum incuria et nimia complacentia damnatus est; *amicus* amico, et omnibus scelerum suorum sociis maledicet. O quam formidanda hæc Christi in reprobos prolata maledictio, ex qua tot aliæ orientur maledictiones! quam terribile erit audire illud verbum, *maledicti*.

Tertium hujus sententiæ verbum est, *in ignem*. Non mittet illos Deus in palatium auro gemisque rutilans; non in hortum variis figuris descriptum et diversis florum generibus distinctum; non in balnea suaveolentia et refrigerantia, sed in ignem, in quo vivi comburentur, nec consumentur: discedite a me maledicti *in ignem*. Audite hoc vos omnes qui obliviscimini Deum; audite hoc omnes peccatores terre, audite et serio perpendite, quod si non convertamini, mittet vos Deus, non in locum deliciarum, ut ibi gaudeatis, non in aliquam solitudinem, ut ibi in jejuniis, et flectu, et planctu penitentiam agatis; non ad triremes, ut ibi multis laboribus peccata vestra expiare valeatis; sed mittet vos ad tartareum ignem, ut ibi vivi comburamini: discedite a me maledicti *in ignem*. Tunc clamabit unusquisque vestrum, vae mihi misero! vae, cur usquam natus sum! vae, cur usquam lucem vidi! vae, cur non simul cum corpore anima mortua est! Tunc clamabitis, et Deus non exaudiet; absque ulla misericordia tartareis vos ignibus adjudicabit: discedite a me maledicti *in ignem*. Totus contremisco, cum mente revolve tot reges, tot principes, tot magnates, tot divites, tot superbas adolescentulas, tot impudicas mulieres, totque omnis generis peccatores in mediis inferni ignibus flentes, ululantes, se voluntates, nec inde egredi valentes, quia ad illos ignes non ad aliquot dies, non ad aliqua dumtaxat sæcula, non ad annorum et seculorum myriades, sed in æternum damnabuntur. Discedite a me maledicti, inquiet Christus, *in ignem æternum*. Discedite vos iniqui iudices, qui toties veræ justitiæ leges violastis; discedite mercatores fraudulentis, qui multiplicatis fraudibus ditati estis; discedite parentes desidiiosi, qui filios in viam

salutis dirigere neglexistis; discedite usurarii, adulteri, fornicatores, homicidæ, fures, et omnes qui in statu lethalis peccati mortui estis; discedite maledicti *in ignem æternum*. O quam durum mitti in ignem tartareum, cujus comparatione elementaris noster ignis, veluti umbra, et quasi ros censetur! At o quam adhuc longe durius, in illum ignem non ad aliqua solum annorum millia mitti, sed in æternum: discedite *in ignem æternum*. O ignis æternæ! o pœnarum æternitas, quis te non timeat? quis a peccatis declinare non satagat, ut in æternum non ardeat? quis, si hanc ignium æternitatem credat, peccata quævis pudenda non confitebitur ac pravos quibus ligatur habitus eradicare non conabitur, ut formidandam hanc sententiam non audiat: *discedite a me maledicti in ignem æternum*? Audite Prophetam, qui ut vos a viis vestris pessimis revocet, summo cum zelo clamat: *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ea vobis cum ardoribus sempiternis?* Heu! si alvi, si podagræ, imo si unius dentis dolores ad aliquas horas vix ferre possumus: quis ignium inferni vim, non ad aliquas solum horas, non ad centum vel mille annos, per totam æternitatem perferre poterit? *quis poterit*, etc.

Hanc, quæso, ignium inferni æternitatem sepe et serio cogitate: recordamini separationis quæ in Judicio fiet, examinis quod quisque tunc subibit; et sententiæ quam Christus tunc adversus reprobos proferet; in primis mente revolvite ignem illum æternum, cui addicentur peccatores, hæc sit meditationis vestræ materia, et tunc præcipue cum urgens quædam peccandi occasio sese offeret. Tunc accensam hanc tartari fornacem in mentem revocate; tunc dicit: melius mihi est, hoc et illud peccatum non facere, quam in æternum ardere; satius est a transitoria hac voluptate abstinere, quam ad perpetuos tartari rogos damnari. Hæc si feceritis, a peccatis facile abstinēbitis, et in die judicii Christum audietis dicentem: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum*. Amen.

FERIA III POST DOMINICAM PRIMAM.

DE USURARIIS.

Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum (Matth. 21).

Christus Dominus increpans mercatores illos, qui in Templo usuraria, variisque modis illicita exercebant commercia, de hoc specialiter conqueritur, quod Templum Deo sacrum in domum negotiationis, et in speluncam latronum converterint: *Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum*. Quod de hoc Templo dixit Christus, de qualibet republica, et de qualibet civitate, in qua usuræ exercentur, vere dici potest; quælibet enim est spelunca latronum, quia omnes usurarii sunt latrones, qui domos subvertunt, familias ad inopiam redigunt, respublicas depopulantur; et ut ait S. Chrysostomus, *usurarii in mediis urbibus latrocinantur*. Christus eos, qui in ovile suum non intrant per ostium latrones vocat; *qui non intrat per ostium in ovile ovium, ille fur est et latro* (Ioan. 10, 2). Quod et de usurariis nostris dici potest; ipsi etenim sunt latrones pessimi intra ovile Christi existentes et viventes; qui nunquam per ostium regni cælestis intrabunt, nisi usurarios suos contractus conscindant, nisi fraudibus parta lucra restituant, suisque usuris, vel potius latrociniiis vale dicant. Usurarios, ut latrones populis infestos, in hac concione proponam. *Ave*.

Verecundia, contemptus, et timor individui furum et latronum comites esse solent. *Verecundantur* latrones cum sua perpetrant furta; et ideo tenebras et latebras furandi causa communiter inquirunt. *Contemnuntur* etiam ab iis, quibus illorum nota sunt latrocinia; turpissimum enim latronis est nomen, nec quis apud homines magis vilificari, et denigrari po-

test, quam turpi furis nomine et titulo. *Timent* tandem latrones, ne in furto deprehendantur, et in sceleris sui poenam ad triremes, vel ad patibulum condemnentur. Latrones quidem sunt, qui usuras exercent; at hi sunt latrones alterius quodammodo rationis et sortis ab aliis latronibus. Usurarii enim sunt latrones publici, honorati et intrepidi. Sunt 1. *Latrones publici*, qui furantur sine verecundia; 2. *Latrones honorati*, qui furantur sine honoris sui jactura; 3. *Latrones intrepidi*, qui furantur absque ulla timoris causa. Usurarii sunt latrones publici, latrones honorati, et latrones intrepidi; en tres hujus concionis partes.

I PARS.

Usurarii sunt latrones publici.

Furtum, quod septimo Decalogi præcepto prohibetur, dividi potest in occultum, violentum et fraudulentum. *Furtum occultum*, cui appropriari consuevit ipsum genericum furti nomen, et quod simpliciter, et absque ullo addito, *furtum* vocari solet, est occulta rei alienæ acceptio, domino rationabiliter invito. *Furtum violentum*, seu rapina est manifesta et violenta rei alienæ acceptio, domino rationabiliter invito. *Furtum fraudulentum*, est ablatio rei alienæ per fraudes et dolos: et sub isto genere reducitur usura, quæ per fraudes et dolos aliena bona diripit. Usurarii autem sunt latrones occulti simul et publici; *occulti* quidem; quia licet vere aliena auferant, ita hoc faciunt, ut a multis fures non censeantur; *publici* vero, quia palam et absque ulla verecundia bona illorum rapiunt, quibus pecuniam mutuo dederunt: *Usurarius*, inquit S. Chrysostomus, *fur et latro est, et longe illo deterior; ille namque tum latendo, tum nocte grassando, multum facinus extenuat, utpote qui saltem timeat, et verecatur peccare; hi autem perfricata fronte, nudo capite per medium forum rapit*. Alii fures, ut aliena furentur bona, latebras et